



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

LI. Exactio Nortmannis constituta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

tem & tranquillitatem conantur, si deinceps in talibus inventi fuerint, si quidem ecclesiastici viri extiterint, tanquam veri schismatici & à capite dissidentes, omnimodis deponantur, laici verò & monachi

perpetuo anathemate feriantur.

Et responderunt omnes tertio : *Fiat, fiat, fiat.*

Subscripsit ergo Dominus Papa, & cum eo Episcopi qui adfuerunt.

## TITVLVS LII.

### Exactio Nortmannis constituta.

*HÆC EXACTIO A NORTMANNIS, QUI ERANT in Sequana tempore Karoli Regis, de suo regno fuit facta, ut ab ipsius regno recederent.*

**V**Nusquisque Episcopus qui habet abbatiam, aut Abbas qui similiter habet abbatiam, aut Comes qui æquè habet abbatiam, de suo manso indomincato, similiterque & de vassallorum, accipiat de manso indomincato denarios duodecim de manso ingenuili, quatuor denarios de censu dominicato, & quatuor de sua facultate, de servili verò duos denarios de censu, & de sua facultate duos. De omnibus verò Ecclesiis unusquisque Episcopus vel Abba de sua solummodo potestate accipiant, de Presbyteris à quocunque plurimum solidos quinque, & de unoquoque juxta quod possibile fuerit, ita ut à quo plurimum, quinque solidos, à quo minimum, quatuor denarios. De Ecclesiis verò quas Comites & vassalli dominici habent, seu de illis qui cum seniore nostro pergere debent, sive qui remanserint, Episcopus in cujus parrochia consistunt secundum prætaxatum modum accipere procurabit. De Ecclesiis verò Imperatricis Episcopus similiter accipiet prætaxato modo.

*Anno incarnationis dominicæ DCCCLXXVII. Nonis Maij, in Compendio palatio, de aliqua sed non de tota parte regni quod Dominus Imperator Karolus habuit antequam junior Hlotharius defunctus fuisset, hæc constituta*

*est exactio Nortmannis, qui erant in Sequana, tribuenda, ut à regno ejus recederent.*

Episcopi, Abbates, Comites, ac vassalli dominici ex suis honoribus de unoquoque manso indomincato donent denarios duodecim de manso ingenuili, quatuor denarios de censu dominicato, & quatuor de facultate mansuarj; de servili verò manso duos denarios de censu indomincato, & duos de facultate mansuarj. De omnibus verò Ecclesiis unusquisque Episcopus de suo episcopatu, vel Abbas de sua solummodo abbatia, in cujuscunque Episcopi sint parrochia, accipiant cum Misso Episcopi in cujus parrochia sunt, de Presbyteris secundum possibilitatem, quinque solidos, vel quatuor, vel tres, vel duos, vel unum solidum. à quo plurimum, quinque solidos, à quo minimum, quatuor denarios. De Ecclesiis verò Imperatoris & Imperatricis & Comitum ac vassallorum imperialium, tam de illis qui cum Imperatore pergent, quam & illis qui remanserint, Episcopus in cujus parrochia consistunt secundum prædictum modum coniectum accipiat. De negotiatoribus autem, vel qui in civitatibus commanent, juxta possibilitatem, secundum quod habuerint de facultatibus, coniectus exigatur.

